

modis, siue accidentibus, (quæ subiecto indigent,) ipsæ autem per se existunt, nec alio subiecto indigent, *substantias* esse, & ab omnibus appellari; licet sint individua *composita*, quorum partes, si separantur ab inuicem, plures & separatas *substantias* constituere possunt, cum coniunctæ vna tantum sint *substantia*; uti numeri plures coniuncti & vnitæ *unicum* faciunt *nūmerum*. Ridiculum esset excipere, eos non esse *vnum nūmerūm*, sed *aggregatum plurium numerorum*: vel & *corpus* non esse *vnum corpus*, sed *plurium corporū aggregatum*: ita non minus ridiculum est, dicere, *corpus humanum, montem &c. non esse substantiam*, sed *plurium substantiarum aggregatum*. Imo homo sane est *substantia*, & subiectum plurimorum accidentium, licet sit *substantia composita* ex duplice rerum, siue *substantiarum*, genere, ex mente & corpore; quæ licet in homine sint coniunctæ, nec separatim existant, manent tamen realiter ab inuicem distinctæ *substantiæ*. Vnde patet, Philosophiam primam, respectu notionis *substantiæ*, non magis emendatione indiguisse, quam respectu notionis *actionis*; similiusque, quæ a Leibnizio perueruntur.

XXXV. Quia ergo propter hypothesin supponitur & falso assumitur in definitione *substantiæ*, eam debere esse *simplicem*, & *vnum indivisibile individuum*, concidunt conjectaria, quæ inde deducit. Ut i. quod *omnis substantia sit simplex, nulla vero composita*. 2. *Vbi est compositum, quod ibi detur simplex, nim. sine partibus, sine magnitudine, figura &c.* Addit, aut adfunt talia *simplicia*; aut datur *progressus in infinitum*. Ego vero dico, neutrum sequi; sed compositum habet partes, quæ iterum possunt habere partes minores, rursus diuisibles, & sic porro; sed non in *infinitum*. Non enim possunt esse in corpore finito partes numero *infinitæ*; nec tamen pars corporis potest esse nisi extensa; adeoque diuisibilis. Pars corporis ex sua natura debet esse extensa, & habere aliquam *magnitudinem & figuram*. Quod supra est probatum. 3. *Quod corpus non sit substantia, rigore Philosophico, sed substantiarum aggregatum*. Sed sibi non constat, quando pag. 3. ait, se non confundere res extensas cum spiritualibus: plane enim diuersas esse *substantias modo inculcaui*. 4. *Quod extensio sit ordo, siue series, substantierum coexistentium*. Scilicet id falso & gratis supponitur in definitione, ex qua sequuntur illa conjectaria: quod iam supra est demonstratum.

XXXVI.